ERASMUS ROTERODAMUS
LECTORI PIO
S. D.

ERuditum opus & Hieronymo dignum, sed quod nemo, cui bonæ literæ cordi sint, sine gravi dolore legere possit, nimirum hinc intelligens ex tot egregiis clarissimorum virorum monumentis, vix paucula quædam supereſſe, atque ea sane mutila, deprauata, contaminataque. O iacturam vere deplorandam, si quid proficeretur complorationibus. Si quid ad rem attinet domesticam, id tenemus mordicus, pro fundis, pro censu strenue digladiamur. At in hujusmodi thesauris, quibus nihil esse potest precioſius, & ecclesia Christiana; dignius, quam dormitatum est ab episcopis, ac theologis, qui tot orbis lumina, tot insignes fidei nostræ proceres & antesignanos, litteris eximios, eloquentia illustres, vitæ sanctimonia commendatos, aliquot & martyrio claros, intercidere passi sunt, ut hoc sordidum Scriptorum genus succederet, sententiariorum, summulariorum, fascicularium, specularium, & o Deum immortalem, quorum vel recordatio nauseam moveat generosis ac bene natis ingeniis. Verum hic dolor extimulare debet omnes bonis addictos authoribus, ut id certe quod supereſt, tanto legant auidius, quanto minus est, quod temporum ruina nobis fecit reliqvum. Vertit hunc librum Græce Sophronius, cujus mentionem facit inter reliquos Hieronymus, nec id sane infeliciter. Ex quo per multa restituimus, exemplar emen-

mendatum ac vetustum nacti. Gennadii catalogum, non omnino lectu indignum, ob historiæ cognitionem reperies in secunda parte secundi tomi. Est & alius libellus, de duodecim primatibus Ecclesiæ, sed authorem præ se ferens non solum ineruditum & infantem, verum etiam insanum, motæq; mentis, quem tamen ipsum in tertia parte secundi tomi reperies, si libebit bonas horas male perdere. Ne quid autem fallat lectorem, illud noverit, Andream, Jacobum Zebedæi filium, Philippum, Bartholomæum, Thomam, Simonem Cananæum, Matthiam, Timotheum, Titum, Crescentem, non recenseri ab Hieronymo, sed additos a studioso quopiam ex alio catalogo. Nam plæraq; conveniunt cum his, quæ retulit Theodorus, Tyri Episcopus. Cæterum ab Hieronymo non commemorantur nisi scriptores. Bene vale.

(O)

Horta-